Sereniſſimo atq; Potentiſſimo

PRINCIPI ac DOMINO,

DOMINO

JOANNI III.

POLONIARUM REGI,

Pio, Felici, Auguſto,

Libertatis no[illegible]rmatic[illegible] tantùm, ſed

& Europææ Vindici ac Statori

[illegible]ſimo,

[illegible]

publicos *Maji M*[illegible]*is*, ac memoriâ

PACIS OLIVENSIS [illegible]citatos plauſus,

Et

Communes ex *reſtitutâ* [illegible]*EGIS OPTIMI Sanitate*

Lætitiæ Vernæ Senſus,

in

Splendidâ Auditorum Coronâ,

PANEGYRIS [illegible]BITA

â

JOANNE SCHULTZIÔ,

Pruſſo-Polono.

GEDANI,

Literis JOANNIS-ZACHARIÆ STOLLII, 1694.

18 223 220

SERENISSIME ATQUE PO-
TENTISSIME
REX AC DOMINE,
DOMINE CLEMENTISSIME,

PRoxima Divinæ Regum eſt Majeſtas; Quos eo loco fortuna poſuit, ex quô largiri multa posſunt, pauca admodùm & imparia recepturi. Hæret animo beneficiorum à *RegeSigismundo Auguſto* majoribus meis collatorum conſtans memoria.

Non

Non contentus Benignisſimus Princeps, oppreſſos erigere Populos & afflictas ſublevare Gentes, privatis quoque in Patriâ malè habitis præſidium eſſe voluit & ſolatium. Quæ ſingularis beneficentia innumeris Succeſſorum Regum Glorioſiſſimorum meritis aucta, in Te usquë jam derivata eſt, *Auguſtiſſime Rex*, ut ne ad ſpem quidem demerendi beneficii accedere liceat. Eminet conſcientia in vultu, ac ſuffuſo rùbore longè ſe imparem referendæ agnoſcit gratiæ: Nec verbis illam metiri convenit, cùm magnitudo ejus latiùs pateat, quàm ut à diſertiſſimò quôque dignè deprædicari posſit. Sola ergò bene-

 ficii

ficii crebrior recordatio, ac ſubmiſſa non exæquandæ gratiæ confeſſio, grati animi teſtes erunt. Nullo magis Cæſarem Auguſtum demeruit, & ad alia impetranda facilem ſibi reddidit Furnius Conſul, quàm quod, cum Patri Antonianas partes ſecuto veniam impetrâſſet, dixit: *Hanc unam habeo Cæſar injuriam tuam; effeciſti ut viverem, & morerer ingratus.* Iisdem pene vocibus, at puriori fortè pietate, ad aras Tuas accedo, REX SERENISSIME, humilem ac ſupplicem teſtaturus voluntatem. Vitam *Sigismundo Auguſto* debemus, non exſtituri fortè, niſi ſingulari Atavis meis, injuriâ temporum ſedibus

ſuis

ſuis pulſis, conceſſâ refugii gratiâ. Tu verò, CLEMENTISSIME DOMINE, præſidia vitæ ac ornamenta largiris. Securitatem præſtas, præſtas otium & alia dulcioris Spiritus blandimenta. Optimô longè jure, quô Angli Regum ſuorum Providentiam extollunt, Tuam, Rex Optime, prædicare licebit. *Omnium Domos Tua vigilia defendit, omnium otium Tuus labor, omnium delicias Tua induſtria, omnium vacationem Tua occupatio: Es halitus narium noſtrarum & Lumen oculorum noſtrorum.* Producenda ergò eſt felicitatis tantæ notitia, & publicâ voce effundendi affectus, ne, remotis arbitris agentes gratias, ingrati

videamur. Exigua quidem, fateor, eſt muneris reddendi pars, ſed quâ & ipſi Superi delectantur; in quos nihil conferri poteſt, quàm propenſa ac publicata voluntas. Et quô potiori argumento Glorioſisſimis Regibus propenſum teſtarer officium, quàm ſi derivata ab Illis in Rempublicam ſervatæ libertatis munera, publicis literarum monumentis conſignarem? *Poloniam*, ergò, *nunquam Tributariam*, tanquàm debitum Heroibus Prædeceſſoribus Gratiæ Decus, à calamô obligationis haud immemore repenſum Orbi exhibui literario. Et qui potui recentis beneficii non meminiſſe? quod Tua, REX POTENTISSIME, V*index ac*

Stator

Stator libertatis noſtræ, Virtute conſecuti ſumus. Et deliberaſſe quidem, an fidelis ſubditi profiterer munus, crimen eſt. Rapitur extra ſe animus, ac moræ impatiens publicâ voce ſacrum Tibi exſequitur cultum. Nihil odio in exteram Gentem, nihil adulationi in noſtram datum; minore eloquentiâ, at majore forte dicendi libertate. Rara, enim aliis Populis, hæc eſt Gentis Lechicæ felicitas, apud quam ſentire, quæ volumus & quæ ſentimus, dicere licet. Nec Tibi, *Rex Sacratiſſime*, vel libidine aſſentandi, vel contemtu vicinorum Populorum, ſed veri fiduciâ ac communi Gentium ſuffragio divinos conſecravi honores. Non equidem indi-

ges

ges privatorum encomiô, cum Virtutum Tuarum dignum illis, extra ipſas, pretium ſit nullum. Verùm & Deo ipſi, nullius rei indigenti, poſito extra deſiderium, referre nihilominus gratias poſſumus. Acceptum ergò habe, *Rex Sacratisſime*, præſens clientis officium, quo, ut mea faciam illa Tertulliani: *Colimus Majeſtatem Tuam, quomodo & nobis licet &* IPSI *expedit, ut hominem à Deô ſecundum, & quicquid eſt à Deô conſecutum, ſolo Deo minorem.*

Sacræ Regiæ Majeſtatis V*eſtræ*

humillimus ac devotisſimus ſervus
ac ſubditus

IOANNES SCHULTZIUS.

Illuſtriſſime & Excellentiſſime
DOMINE PALATINE PLOC.
HOSPES AC DOMINE GRATIOSISSIME,
S. R. MAJ. POL.
Illuſtris Domine BURGGRABIE,
CIVITATIS INCLYTÆ GED.
Per-Magnifice Domine Præſes,
VIRI
Magnifici, Generoſi, Maximè Strenui,
Summè Reverende, Nobilisſimi, Conſultisſimi,
Experientisſimi, Plur. Reverendi, Clarisſimi, Amplisſimi, Spectatisſimi: Oq; Ord: Ætat: ac Graduum
A. H.
Tuq; florentisſima Studioſæ Juventutis corona.

VNiverſi Orbis Chriſtiani felicitas, cum fortunâ Regni Sarmatici con-

ſpirâſſe, communibusque generis humani votis hunc à coeleſti Numine impetrâſſe videtur *Menſem*, quô nullus lætior, nullus exoptabilior, nullus Civitati noſtræ, Provinciæ huic, Genti Lechicæ, toti denique Europæ magis ſalutaris, tàm auſpicatò, tamque deſideratò illuxit. Sacrum olim fecêre V*er* priſcæ Sabinorum gentes; (immolato illi quicquid animalium fructuumque natum fuerat:) faventemque temporis iſtius divini quaſi benignitatem, ſuperſtitioſâ quâdam religione proſequi conſvevêre. Non gentilis vana nobis illudit credulitas, non latens aut ignotus nobis eſt omnis felicitatis humanæ Auctor,

non

non falſa aut aliena à vero cultu gratæ ac propenſæ mentis in Deum Officia. Occultam ergo Fatorum poteſtatem cur damnando, ſuperisque ipſis inviſo ritu veneremur? Manifeſtus eſt Veri Numinis, ac penè inexhauſtus, hâc imprimis anni parte proſperrimâ, in nos patrius verè affectus: Hunc miremur attoniti, immenſumque beneficiorum nobis collatorum cumulum, devotâ colamus recolamusque memoriâ. Quis enim oblivioni traderet, aut ſilentio disſimularet longè latèque patentem illam in nos effuſam bonitatem divinam? Quid aliud videretur, quàm non agnoſcere, aut penitus negare

cœleſte munus, quod inverecundæ pertinaciæ eſſet: aut fortè negligere ac parùm curare Divinam Providentiam, cui Nos curæ fuimus; quod injuriosum Numini flagitium: Aut debitas idcircò laudes ſupprimere; quod turpem ingrati animi labem ſuſtineret, infamiamque ſubiret. Quid eſt autem honeſtius, quàm gratum eſſe? Hujus virtutis materia ſi tam latè patet, quàm vita noſtra; demus exiguam illius partem Divinis honoribus, ac cœleſtem gratiam ſanctâ beneficiorum enarratione cuſtodiamus. Sed quæ illa temporis felicitas? Quis lætitiæ publicæ fons & ſcaturigo? Quæ votorum com-

munium & gratulationum tam ampla ſeges? O fortunatos *Maji* dies, non ubertate frugum, non proventu fructuum, non amœnitate florum, ſed gratisſimâ publicæ tranquillitatis redditæ memoriâ beatos ac felices! O auſpicatisſimum V*er*, quo revireſcentis proſperitatis ſpem concipimus uberrimam, omniaque vitæ ac ſalutis, ex Unius vita ac ſalute ſervatâ, reddita nobis ſolatia ſentimus; experimur, & profuſæ lætitiæ notam publicis meritò teſtamur jubilis atque applauſibus! Ut enim Sol hyemali diu tectus caligine, ineunte Vere, mox diſcuſſo nubium horrore gratâ excipitur Terræ,

 Maris,

Maris, Animalium, frugum, ipſiusq́ Hominis expectatione; ſic eadem admiranda Divinæ Providentiæ ratio eſt, quæ ſolatio quaſi mœrorem hactenus antiquum & recentem ſublevatura, diuturno Luctus nubilo novam quandam ſuperinduxit lætitiæ lucem, & poſtquam multos torſit anxio ſuſpenſos timore, omnem malorum memoriam ac metum vernæ felicitatis auſpicio abſterſit. Quid hîc putatis, Auditores? quò ſe nunc vertit mens ac cogitatio ancipiti diſtricta motu? Quem hic præteritarum calamitatum memoriam, aut præſentem felicitatis poſſesſionem animo concipitis? Recurrite primùm ad lu-

ctuo-

ctuoſum olim illud, Patriæque funeſtum tempus, plenum variis caſibus, per ſeditiones confuſas diſcors, præliis infauſtum, & ſparſâ ubique cœſorum cadaverum ſtrage horrendum. Nonne tot Urbium mœnia ſuis convulſa ſedibus triſtem ſui refricant memoriam? Nonne tot Civitatum incendia, tot Provinciarum deſolationes, tantum ſangvinis humani prodigè fuſi, occurrunt animo? Nonne commercia, quibus ſtant & augentur Respubl., turbata, Regnumq; ipſum prævalente hoſtis potentiâ penitus everſum, Verbo; Sacra, profana proſtrata, conculcata, deleta altâ mente revolvitis? Sed imperate, quæ-

ſo, Vobis, omnemque à vultu ac geſtu ſubmovete mœroris notam. Nihil ego magis hic objiciam, quod vel oculos veſtros horrido funeſtet ſpectaculo; vel animos irritati doloris ſenſu excrutiet. Verſa eſt hôc *Menſe* rerum facies, triſtibusque lætiſſima tandem ſucceſſêre, atque longus ille ac penè exitialis luctus inopinis deſideratiſſimæ *Pacis Olivenſis* gaudiis mutatus eſt. Aſt, unde ille tam derepentè propitius ac ſoſpitator Deus? Vicit, vicit eum veſtra pietas, & anxia votorum precumq; cumulatarum ſolennis nuncupatio. Miſertum, credo, Chriſtiani ſangvinis Deum, qui, ne ultimum Orbi Polono exitium indu-

ceret

ceret feralis belli flamma, amica pacis utriſq; bellantium inſpiravit deſideria. Hæc vis in Humanas mentes ſolius Dei eſt, cui ſubjacent Reges & populi.. Ex odio itaq; illô vetuſtô ac inter utramq; gentem tot præliis irritatam intenſisſimô, nihil iræ reſiduum, ac in publicô populorum gaudiô præterita bella pro Commentis habita. Feſtivæ ubiq; voces editæ, redditæ templa, fora, privatos publicosq; parietes, civitates, provincias, Regna, omnem deniq; Europam perſonuêre. Erecti triumphales arcus, collucentes accenſis Luminibus ædes, decurrens jubilis & tripudiis, nullô ſexus diſcrimine, juventus, armorum non in hoſtem, ſed in amicos invicem læta ac

perba oſtentatio, Tubarum clangor, tormentorum tonitrua, publica tùm ſolennis & in omnes ac ſingulos derivati gaudii ac exultantis inde animi exſtitêre monumenta. Communis omnium publicæ ſecuritatis ſenſus, communia omnium vota, communis acclamatio: Hūnc eſſe ſalutarem Menſem Paciſq; deſideratiſſimæ natalem; hunc Menſem beatum, quô preſſæ hactenùs Patriæ Libertati ſeſe erigere, & è vinculis prodire licuit; hunc Menſem à Numine electum, quô exanime ferè Reipublicæ corpus vires ex integró recipere, lætioremque Spiritum ducere coepit. Sed quid eſt, quod non fortuna, cum voluit, & florentisſimo

de-

detrahat? quod non eò magis aggrediatur & quatiat, quò ſpecioſiùs fulget. Bellum in mediâ pace exſurgit, & auxilia ſecuritatis in metum tranſeunt. (a)

Serenum, Vobis, A. à Septentrione oſtendi cœlum, non ſævis aquilonibus horridum, non nubium mole denſum, non infelici Arctici Sideris omine infauſtum: Serenum, inquam, hoc Patriæ cœlum malignum ex Oriente & plùs quàm belluinam feritatem ſpirans aſtrum afflavit. Inimica Soli Europæo Luna Ottomannica contraxit undique nebulas, offuſâque bellorum caligine lucem Orbi Chriſtiano penè non eripuiſſet. Ita vix obductâ ex

(a) Sen.

 lethali

lethali vulnere inflictô, cicatrice, iteratis exponitur, contunditurque Reipublicæ corpus ictibus. Tantô maló laboranti jam Patriæ ac penè oppreſſæ (prorſùs ut reſpirare non liceat) unde deſperatâ quaſi ſalute exſpectanda remedia? Sanè nulla vis tanta eſſe poteſt, nullum conſiliorum genus tàm efficax, quod dolorem jam acriter Reipublicæ viſceribus inſitum evellat atq; abjiciat. A ſolius ergò tantùm CAPITIS conſilio potentiſſimum ac præſentiſſimum corpori quærendum auxilium, quò tentata ingraveſcenti vehementiùs morbo membra, ac penè attrita, priſtino vigori reſtituantur.

At ſi & CAPUT ipſum graviori

vel

vel quâcunq; tandem ægritudine corripitur, quæ exſpectanda corpori ſalus? Hæret vox palato, promptamq; dicendi facultatem interpellat turbatq; inviſa calamitatum recordatio. Luctantur inter ſingultus verba, & tanti mœroris ponderi ferendo impar mens, exprimendo impar vultus, referendo impar eſt Oratio: Nec etiam mihi tanta ingenii vis, tantaque dicendi copia, quæ animum publicâ ſolicitudine graviter affectum erigere, & in ſolatii partem tàm ſubitò convertere poſſit.

Sed quid vanò turbor metu? quid vos miſeræ perſvaſionis errore torqueo? Succeſſêre & hîc lætiſſima, quæ

omnem excutiunt mœroris cauſam: redit virtus intra præcordia, & elangvem ex luctu facundiam reddit unius verbi occulta quædam poteſtas. VALET quippe *optimè* REX OPTIMUS, CAPUT NOSTRUM, ex cujus gravi per tempus hyemale morbô proſtrata Reipublicæ membra, & deficiens ſpiritu corpus uberrimam juſtisſimi doloris materiam conceperant. Valet HEROS ille, qui apud omnes ex laboribus pro Hercule audit, à quô Hydra Ottomannica Libertati non Polonæ tant*ù*m, ſed & Europææ inhians debitum furori ſuo metuit exitium & exhorreſcit. Valet SCUTI SOBESCIANI STATOR, in

quod

quod illiſa Lunæ Ottomannicæ cornua in perniciem Chriſtiani nominis cuſpidata, attrita hactenùs, contrita mox cum ſtupore aſpiciet Orbis. Et ut omnem lætitiæ cumulum unius nominis compendio exhibeam: Valet

JOHANNES III.

Tantùm valuêre apud Deum tot mille piorum preces, atque ſuſpiria pro ſalute tanti Principis nuncupata, ut tot Civium deſideriis, tot anxiis generis humani votis, hâc anni parte gratiſſimâ, redditus tandem ſit, & conceſſus iterum à cœleſti Numine REX noſter Auguſtiſſimus: Cujus certè tanta apud omnes exiſtimatio eſt, ut

inde ſuis meritis ac publico Gentium ſuffragio digniſſimum tanto Rege acceperit cognomentum, ut jam ubiq; NON SARMATICÆ TANTUM, SED ET EUROPÆÆ LIBERTATIS VINDEX AC STATOR jure longè optimo ſalutetur. Quemadmodum verò cœleſtia Sidera non tantùm magnis Orbis partibus ſe infundunt, ſed & minimis animantibus vim ſuam impertiunt; ita cum eandem à benigniſſimo Cœlî Sarmatici Sidere, JOHANNE III. ad me quoque deſcendiſſe experiar, interiore quodam grati animi Senſu commoveor, ut publicè jam non quidem meritis tanti Principis debita

Lau-

Laudũ tribuã ornamenta, ſed ut officii religione, quâ Domino meo Clementis-ſimo obſtringor; humillimè defungar.

Dabitis veniam, *Illuſtriſſimi, omniumq́; Ordinum, Graduum, ætatumq́; honoratiſſimi Auditores*, qui remotis ad tempus, quibus publica ſalus innititur, curis ſublimioribus, Auditorium hocce ingredi benigniſſimè decreviſtis, mihique rudi & impolito ſermone loquenti oculos, aures, animosq́; præbere dignamini arrectos; dabitis veniam, ſi mediocre ac tenue mihi ingenium tàm illuſtri materiæ dignè deducendæ impar Vobis viſum fuerit. Opportunitate præſentis temporis ductus officio meo publicè jam me defungi poſſe reor, ſi

publicæ felicitatis ſenſum non minimum quoque in me derivatum feſtivis aliorum acclamationibus audaciuſculè immiſcuero. Non Vos latet, Magnos Principes ac Populos, neceſſitate publicâ & communis curâ ſalutis adductos, in procurando Pacis Olivenſis negotio, Regi Sereniſſimo *Johanni Caſimiro* glorioſisſimæ memoriæ, ſociâſſe conſilia, arma, autoritatem; quó ipſò documentum præbuêre; *Principibus non unius ſibi creditæ gentis, ſed totius ſocietatis humanæ habendam eſſe rationem.* Venit tempus, quô par pari referre licet Regno noſtro, auſpice DEO & JOHANNE III. Annue conatui,

Augu-

Auguſtiſſime Rex, patereque, ut tanti nominis Tui ſæpiùs iterandi ſplendore refulgeat obſcurum dicendi genus. Stet per Te Statorem ac Vindicem Libertatis, liberrima nudæ veritatis confeſſio, quæ tantum aberit à præruptâ adulatione, quantum abeſſe nequit ab officii neceſſitate.

Magnum putamus, ſi cui vel ſingularis natalium obtingat felicitas, vel congenitum Genti ac Familiæ arrideat auſpicium, vel virtutis ac meritorum accedat ſplendor, vel denique Majeſtatis Regiæ conferatur ornamentum. At omnes iſtas proſperioris fortunæ Partes, glorioſô Tituli Tui encomio velut ambitu quodam com-

pleſteris, *Rex Sacratiſſime*. Et quo potiori vel compendio ampliſſima Sortis, Virtutum ac Honorum Tuorum decora contineri potuiſſent, vel etiam certiori præſagio publica Orbi univerſo ſalus portendi ac declarari? Equidem non defuerunt, quibus rarior quædam Ortus contigit felicitas, quique ſpecioſis ideò à cœleſtis quaſi originis auguriô ſalutabantur elogiis. Conſtat quippe, Philippum Auguſtum Galliarum Regem *à Deô Dati* cognomento inſignitum, quod obſecrationibus eum Pater tertiâ tandem ex Uxore à Cœleſti Numine impetrâſſet. [c]

(c) *Æmil: in Phil: Aug: f.205.*

Te

Te verò, *Sereniſſime Rex*, non unius hominis voto, ſed totius Generis humani deſideriis à Cœleſti gratiâ exoratum eſſe, & eunte quaſi per ſingulos homines Divinæ Providentiæ ſenſu *à Deô Te Datum* terris agnoſcunt Gentes ac Populi, qui Dei in terris vice fungaris; ut, quæ Superi bona hominibus largiuntur, ea partim diſtribuas, partim conſerves.

Videor mihi, Auditores, coram intueri adhuc deſcendentem tunc *Maximi Principis* ſpeciem humanâ auguſtiorem, & dignâ Majeſtate voce iſtum in modum loquentem audire mihi videor.

Ego ex omnibus Mortalibus placui electusq; ſum, qui Deorum vice in terris fungerer: Ego vitæ necisq; Gentibus arbiter; qualem quisq; ſortem ſtatumq; habeat, in meâ manu poſitum eſt; quid cuiq; mortalium fortuna datum velit, meô ore pronunciat: Ex noſtrô Reſponſô lætitiæ cauſas populi urbesq; concipiunt. Nulla pars unquam niſi volente propitioque me floret. Hæc tot millia gladiorum, quæ pax mea comprimit, ad nutum meum ſtringentur. Quas nationes funditùs exſcindi, quas transportari; quibus LIBERTATEM *dari, quibus eripi: quos Reges mancipia fieri, quorum capiti Regium diadema circum-*

circumdari oporteat; quæ ruant urbes, quæ oriantur, mea juriſdictio eſt.(b)

Ignoſce, *Regum Maxime*, temeritati, quod Tuam Divinæ proximam Majeſtatem, Oracula edere ſolitam, balbutiente lingvâ imitari non erubuerim: Da veniam privato homini imbecillitatis ſuæ conſcio, cui cùm Deus hanc de ſe judicandi normam permittat, facilem quoque à Te, *Princeps Sacratisſime, Imago Dei*, liberioris iſtius audaciæ gratiam me impetraturum ſpero. Impavidus ergò ad Pulvinar Tuum, atque ad Aras Tuas propiùs accedo; nec ſervili metu (eô enim omni, Te Averrunco, exemptam Patriam, gratulamur); ſed liberrimô

(b) *Sen. L. 1. de Clem c. 1.*

vultu & exporrectâ fronte Tibi, *Rex Potentiſſime*, Libertatis Gentis Tuæ, & alienæ Majeſtatis fortunæque Protectori debitos porrò honores conſecrare non intermittam.

Intuenti verò mihi penitiùs Patriæ Regiæ prærogativam, minimè fallax illicò obverſatur auſpicium; ruentem tunc quaſi Sarmatiam in univerſâ Europâ Rerum-publicarum liberrimam, omnem in *Unius Sobieskii* Ortu ſpem poſitam habuiſſe. Quippe ex liberâ natus eſt *Rex noſter Sereniſſimus* Gente Sarmatarum, qui à conditis Regni ſui monumentis ſine jugo ſervitutis externorum Regum aut Principum longè lateque imperarunt, atque vicinis

nis circumquaque populis devictis, ſubjugatis jura dederunt: Quam ſanè felicitatem vix ulli nationi à primis ævi incunabulis ad noſtram usque ætatem contigiſſe, hiſtoriarum docemur monumentis.

Umbri olim à Tyrrhenis ejecti, Tyrrheni à Gallis, Galli à Romanis, Romani à Longobardis; totumque Italiæ Latus, quod inferiori mari alluitur, major Græcia fuit. Thuſcos Aſia ſibi vindicat, Tyrii Africam incolunt, in Hiſpaniam Pœni, Græci ſe in Galliam immiſerunt. Vix denique ullam invenias terram, quam etiam nunc priſcus indigena inhabitet. Soli Sarmatæ nunquàm ſedibus noſtris pul-

ſi, nunquàm alterius potentiæ cedentes, nunquàm vicinorum Dominium paſſi, nunquàm ſub fœdô ſervitutis aut tributi pendendi onere ſuccumbentes liberè ſemper imperavimus: Quodq; olim de Athenienſibus, id de Florentiſſimâ Gente Lechicâ potiori jure gloriari licet: Eam nimirum, præterquam incremento, etiam origene gaudere poſſe. Quippe non advena, neque paſſim collecta colluvies ortum Sibi dedit, ſed in eodem nata ſolo, quod incolit, & quæ ſedes eadem & Origo eſt.[c] Quanta natalium ab antiquitate gentis dignitas eſt! eoque major, quod antiquiſſimum bonum, Libertatem ſecum natam, ſuoque ſangvine per

tot

tot retrò ſecula partam, defenſam, in
hunc usque diem conſervet; ærumno-
ſæ illius ſervitutis calamitate à finibus
ſuis averſâ, propulſatâ. Fatendum
certè, nihil in vitâ libertate melius,
nihil dulcius, nihil exoptabilius eſſe.

Hæc optima Rerum
Quas homini noviſſe datum eſt,
Hæc una Triumphis
innumeris potior.

Conclamatum penè plerisque in
Regionibus de Libertate, in pau-
corum primò dominationem, tùm
in Libidinem Dominantium verſâ.
Exul ubique facta tutiſſimo tandem
Sarmatiæ aſylo excepta viret, floret

& uberrimum ſui fructum in omnes dimittit. Non Licentiam hîc intelligo, Auditores, quæ depravata Libertas eſt, fons ſeditionum & effrænati populi incitamentum: Nec inane illius nomen eſt, cum eam Juſti Regis imperium non evertat. Brutus quidem Imperii Regii pertæſus libertatem & Conſulatum inſtituit, indignum ratus, Populum Romanum Regibus eſſe ſubjectum. At rectè ſe illi opponit Seneca. *Mihi*, inquit ille, *cùm vir magnus fuerit in aliis, in hâc re videtur vehementer errâſſe, nec ex Inſtitutione Stoicâ ſe geſſiſſe: qui aut Regis nomen extimuit, cùm optimus Civitatis ſtatus ſub Rege juſto ſit,*

aut ibi ſperavit libertatem futuram, ubi tàm magnum præmium erat & imperandi & ſerviendi: aut exiſtimavit civitatem in priorem formam poſſe revocari, amiſſis priſtinis moribus: futuramque ibi æqualitatem civilis juris & ſtatutas ſuo loco leges, ubi viderat tot millia hominum pugnantia, non an ſervirent, ſed utri.[d] Eſt enim & interdum is Reipublicæ ſtatus, ut videatur niſi ſub libero unius Imperio ſalvus ac incolumis eſſe non poſſe; quod de eâdem Romanâ, qualis erat Cæſaris Auguſti ætate, prudentioribus tunc viſum eſt; quam Auguſtus diſcordiis civilibus feſſam nomine Principis ſub imperium accepit.

(d) L. 2. de Benef. c. 20.

Cùm verò talem exigat Regem
Libertatis Patriæ defendendæ neceſ-
ſitas, qui ita imperet cum Adria-
nô, ut ſciat, Rem Populi non ſuam
agi: Quis jam melior omnium vo-
tis ſperandus, quam qui è mediô
Populi natus civis, non Dominus,
ſed Pater futurus eſt? A quô pro-
penſior in Rempublicam amor ex-
ſpectandus, quàm ab eô, qui eodem
cum ſubditis cœlo editus, commu-
nique ſpiritu enutritus arctiori quo-
dam neceſſitudinis vinculo Patriæ jun-
gitur? Docemur, experientiâ te-
ste, diverſa eſſe diverſarum natio-
num ingenia, diverſos mores, di-
verſas Leges, diverſa commoda.

Ex quâ diverſitate haud facilè coaleſcunt Imperantium ac Parentium animi. Sunt Gentes, quæ ſervitutem ferre non poſſunt, ſunt quæ nec Libertatem pati. Servit Svetus Oriens Dominis; & Capadoces oblatam ſibi Libertatem reſpuêre, negantes, ſe ſine Imperiô Regiô vivere poſſe. Indi verò olim liberi erant & Regum penè expertes. Raro Ergò exemplo, & Sarmatæ, liberrimi licet, ſub Regio tamen imperio felicisſimè vivunt, & cum Urbibus illis ſub Eumene, nullius liberi Populi fortunam cum ſuâ mutatam volunt.(f)

(f) *Livius Lib. 13.*

Non in occultas feliciſſimi iſtius temperamenti cauſas inquirere animus eſt. Sanè maximum illi noſtrâ ætate vel hoc medio acceſſit incrementum, quod prudentiſſimi Mortalium Sarmatæ, poſtquam in delectu Principum Exterorum longam experientiam pasſi ſunt, antiquum illum morem; *Ne Piaſtus imperaret*; benè ac ſapienter mutârint, conſiliiq; publici perfectisſimam normam amplexi, Te *Serenisſime Princeps*, divinô nutu animis eligentium imperante, liberrimis votis Regem expetierint, ut Eminentiſſimus, qui es Sarmatârum, reliquis præeſſes Sarmatis. Intellexêre probè bonum ſuum; Libertatem nempe ſuam

ſar-

ſartam tectamque eſſe non poſſe, niſi ſub Eô, qui cognitæ ſibi atque congenitæ Reipublicæ & ingenium fovet, & mores induit, & qui, cum Trajanô, Libertate magis, quàm ſervitute Civium lætatur. Explevisti, *Principum Optime*, Tuorum deſideria, qui creditam Tibi Gentem ſuis vivere moribus, ſuô regi jure, ſuis uti Legibus clementisſimè permittis. Servas ſubditis Libertatem, ita tamen, ne in licentiam verſa pulcherrimam ſui amittat ſpeciem: nec ſi quos ab officii limite transverſos agere vides, præter peccandi licentiam adimis. Nimirum Imperatoriè cum

Marcellô judicas; *quomodo peſſimis Imperatoribus ſine fine dominationem, ita quamvis egregiis modum Libertatis placere.* Quantum verò hoc eſt; in eà poſitum fortunâ imperare ſibi poſſe, & ſupremam in terris poteſtatem Conſcientiæ Legibus adſtringere. Quotusquisque vitam agens privatam ac munerum exſors ab omni culpâ ita ſe immunem præſtat, ut non illud, *(Quid non juſtum Domino in ſervum?)* juri ſuo tribuat? At Regia Tibi eſt indoles, quæ ad Divinam proximè accedit, *Rex Sereniſſime.* Quanquam enim judiciô Sapientiſſimi Anglorum Regis, Dei ſit tàm creandi, quàm deſtruendi Poteſtas, eſt tamen ab illius Sapientiâ

alie-

alienum, naturam evertere, & conſpicuam hanc rerum machinam luxare.(g) Atque in eô optimi, vel ipſô Dione Pruſæenſi interprete, Regis mereris elogium, quod *Domini nomen adeò in homines liberos, cum poſſis, non uſurpes, ut & in ſervos eô abſtineas.*

Tantum hoc tamque precioſum Reipublicæ Pignus torvô ſemper ab omni ætate aſpexêre vultu vicinæ Gentes ac Populi. Inde Oriens, hinc Occidens procellas minari, turbines immittere, ſævoque afflatu in evertendam Libertatem conſpirare. Non pepercit illi horridus Auſter, non infenſus Septentrio. Tentârunt undique in illam vires ſuas, ſævoq; Martis igne

(g) *Jacob. R. Or. IV. f.* 526.

conſtantem illam Libertatis defendendæ virtutem Polonam diu ſatis, nec perfunctoriè exercuerunt. Inconcuſſa tamen manſit, & velut injectis auro flammis tantò fulgentiùs etiamnum explendeſcit, quantò graviùs ferali igne ab omni ævô exagitata eſt.

Mirâre mecum, quisquis hîc ades Europæorum, Generoſam mentem cælitùs quaſi Generis humani bono Sarmatis inditam, quæ tanto ſui bono nequaquàm acquieſcit, ſed felicitatis ſuæ niſi Orbem participem videat, haud putat laborum ſuorum fructum maturuiſſe. Roma

qui-

quidem, illa Gentium Victrix ac Domina ſummam in eò ſolicitudinem impendiſſe dicitur, quod Libertatem vicinarum Gentium, ad exemplum ſuæ, adverſus injuſtam Opprimentium vim, ſociatis ſpontè armis, illæſam ſæpè conſervâſſet. Aſt, haud rarò, infida quoque fuêre nimis potentia Romanorum auxilia; Nàm & Latini ſub umbrâ fœderis Romani ſervitutem ſe pati querebantur. Et Ætholi vanam ſpeciem & inanem Libertatis Titulum dolebant: Et Achæi precariam ſibi ſervitutem ex ſocietatis fœdere impoſitam ſentiebant. Alia Tibi mens, alia ab omni ævô indo-

doles, Florentisſima Gens Lechica, quæ vicinorum populorum diſcrimine excitata in partem illius venire, atque etiam Tui ſangvinis impendio tueri conſveviſti. Teſtis ſit Germania, cujus Libertati imminens ab hoſte in viſceribus jam Imperii graſſante periculum Tuâ ſæpè avertiſti conſiliorum atque potentiæ autoritate. Teſtis Dania, quæ fractis opibus, attritis Nobilitatis viribus, amisſis plerisque Regni partibus, intra cancellos penè unius Urbis redacta, exſtinctâ quaſi ſalute atque proſtratâ dignitate, deſiiſſet eſſe Dania, niſi Regno huic miſerandum in modum diſcerpto ac omni fermè ope deſtituto, ſubſidio veniſſes, & au-

xilia-

xiliarem vegetâ Tuorum virtute præſtitiſſes operam. Teſtis Hungaria, cujus præſentiſſimum ex Oriente incendium Tuorum pectoribus atque cruore ſæpè reſtinxiſti. Vos, vos verò hîc maximè, Moldavici Principes, in ſcenam produco: Fatendum ſanè Vobis erit, veſtræ ſecuritati adverſus Ottomannicam Belluam Polonorum ſangvine litatum, veſtræ proſperitati valido ſemper Gentis noſtræ conatu proſpectum, veſtræ tandem immunitati ſtabiliendæ, propenſisſimis noſtrorum armis ſeriò laboratum.

Ex hâc Libertatis non Patriæ tantùm, ſed & Europææ vindice natus Gente, *Rex Auguſtiſſime*, non vanô Ortus Tui

augurió, communis factus es publicæ Libertatis Vindex & Averruncus. Equidem naturâ omnium hominum intereſt, ut hominibus aliis conſulatur. Aſt hæc virtus, quæ conſortem adjuvat, firmiores in Gente noſtrâ egiſſe videtur radices, & penè ſpecialis illi ac domeſtica facta, vel in *Unô Sobieskiô*, tanquam in ſpeculô, dilucidè ac manifeſtè conſpiciendam ſe exhibet. Namque ut

Præbent ſaxa perfugium feris
aræq; famulis: urbibus preſſis malo,
tutamen urbes.

ita ſingularis Tua Virtus eò ſe extollit, ut non contenta congenitæ Tibi Genti eſſe præſidio, fortunæ etiam alio-

aliorum intercedat, oppreſſos erigat populos, & afflictos vicinos Principes connatâ relevet autoritate. Non ducar ergò ſimilitudinis errore, ſi JOHANNEM MAGNUM *Conſtantino Magno* minimè imparem exiſtimandum Euſebii verbis alloquar: Natus es, *ut eſſes communis quidam omnium ubique agentium hominum Tutor, & Curator; quique proinde ad remota etiam loca Providentiam Tuam pro cunctorum commodis laborantem extenderes.* (b)

Imprudens cæterùm meritò audit, illa à Romanis & Trojanis derivandi familiæ ſuæ ortum conſuetudo, cujus tamen labe infectas videmus plerasq;

(b) *In Vit. Conſt. L. 4. c. 8.*

Orbis Europæi partes. Si enim ad antiquos Romanos aſcenderis; colluviem invenies hominum, non ſtemmatis nobilitate claram, ſed profugæ ſervitutis notâ infamem; Si ulteriùs ad Æneam & Trojanorum reliquias duxeris Genus; invenies Autores eos, qui è Trojanô incendiô ſuperſtites Patriæ ſuæ meritò dicendi ſunt Proditores. Aſt Veſtrum Genus, Nobiliſſimi Sarmatæ, non ad Romanos, non ad Trojanos, ſed ad antiquiſſimos Veſtros Sarmatas duco, quorum eadem Terra, & Parens, & altrix, & Patria dicitur; apud quos ſolos antiquiſſimis temporibus tenax fuit, manſitq; Libertatis avitæ defendendæ ardor. Ab

his

his Conditoribus ſi illuſtrem meritis familiam Tuam, SOBIESKIANO nomine claram, Orbi oſtendero, digniſſimum Te mortales profitebuntur, qui Liberæ Genti præſis *Sobieskiorum Maxime.*

Venerationem certè expoſcit antiquum caſtellum, aut monumentum aliquod vetuſtate clarum, quod nulla ruinà invaſit: annoſæque arbori ac proceræ, poſt tot cœli tempeſtatumq; injurias ſolidæ atque integræ ſervatæ debitum litamus honorem. Quantò plus erit intueri antiquam nobilem familiam, meritis in Patriam inſignem, & per tot retro ſecula à fluctibus & procellis illæſam! Hæc *Proſa-*

piæ Sobieskianæ prærogativa eſt, hæc Generis Regii Eminentia. Quis verò hîc omnia Majorum Tuorum trophæa, victorias ac Res domi foriſq; prò dulciſſimæ Patriæ Libertate ac juribus cum gloriâ geſtas dignis laudúm præconiis extollat? Tanta enim eſt ſingulorum amplitudo, tantum decus, tamq; innumeris Heroum Prædeceſſorum meritis cumulata, omnique elogii genere condecorata fama, ut perennis, & nunquam intermoritura eorum memoria Orbem penè univerſum jamdudum illuſtraverit. Neque eſt, cur Maxima illa Patriæ Lumina jam immortalitati conſecrata, ab interitu vindicare alla-

borem, tantamque laudandorum Heroicorum facinorū copiam omnium ferè jam ſcriptis & ſermonibus exornatam hîc repetam. Imitemur ergò potiſſimùm eos, quorum oculis univerſam cœli variis ſtellis diſtinctam faciem intuentibus maximè fulgentia tantùm obverſantur Sidera. Nec univerſam Regiorum illorum Sarmatici Olympi Luminum perluſtremus hiſtoriam, ſed in Bigam Siderum maximè reſplendeſcentiū omnem defigamus oculorum aciem. Neque tamen in tantô laudandarum rerum cumulô omnem Virtutum lucem, ſed aliquas tantùm radiorum ſtricturas, quibus Gentilitium Scutum refulget, exhi-

Inſignis olim memoratur Virtus militaris *Marci Sobieskii*, Palatini Lublinenſis, Illuſtriſſimi Avi Regii, qui Stephano Regi fortiter ac ſtrenuè militans, vulneribus pro Patriæ ſalute ſuſceptis, auſpicium Gentis ſuæ Poſteritati transmiſit; aptum aliquando fore Clypeum Sobieskianum defendendo impigrè Aquilæ Sarmaticæ pectori. Occurrit enim animo Lemma, rutilantibus ſangvine literis avito illi Scuto inſcriptum:

Aut cum hôc, aut ſuper hôc.

Epaminondæ Herois illius apud ſuos celebratiſſimi imitatus Heros noſtras exemplum, qui, ne quid gloriæ Scuto tantæ fortunæ deſtinato decederet,

aut

aut Scutum referre incolumis, aut clypeum incumbente illi ex vulneribus corpore ornare maluit atque illuſtrare.

Auxit Stemmatis ſplendorem *Jacobi Sobieskii* Patris Regii ad utrumq; parata Virtus. Hic enim, ſub auſpiciis feliciſſimis Vladislai IV. tum Poloniarum ac Sveciæ Principis, impoſitum ſibi belli pacisque Chotimenſis arbitrium tantâ dexteritate confecit, ut dubitare mihi videar, plus ne Polonia heroicæ Jacobi fortitudini, an incredibili facundiæ debeat, ob reſtitutam Regno Libertatem, tunc crudeliſſimo Oſmanni bello attentatam, non pluribus annis, non

 minus

minùs pluribus menſibus, ſed paucisſimis diebus partam & acquiſitam. Hæret adhucdum memoriâ poſteritati commendata inſcriptio, Scuto *Jacobi* impreſſa:

Lingva in conſiliô valet, in certamine dextra.

Tantis itaque edite Satoribus, tantorumque Heroum Divina Propago, JOHANNES III. illorum exemplis, velut ampliſſimis Doctoribus inſtructus haud fallaci omine promiſiſti, Gentilitium hoc Scutum non minori à Te illuſtratum iri Luce. Non fefellit ſpem eventus, ſed ſuperavit: Quippe Major illicò Majoribus Tuis viſus, non tantùm, quæ Parmeniones de-

decerent, ſed & quæ Alexandrum, agitâſti & confeciſti negotia. Et cùm hôc Regiô animô Regiam tandem expertus es fortunam conſpirantem; quippe omnium conſenſu, antequàm regnâſſes, capax Regni judicatus.

Non fallor, Auditores, evidenti aliquo Divinæ Providentiæ argumento; cœleſti nimirum indicio deſignatum Terris *Johannem III.* cujus autoritate, conſiliis, ac fortitudine non afflicta tantùm Patria, ſed & pleraque Totius Europæ Regna, atroci bellô colliſa ac penè fracta, priſtinæ felicitati ac quieti reſtituantur. Hæc enim Scetri Sarmatici collatio.

Autorem ſortita Deum, contingere nullo
jure poteſt hominum; collator muneris hujus
eſt Deus; hoc ſummis Regnum confertur ab ASTRIS.[i]

ASTRA dico, divinô nutu in Scuti formam diſtincta, atque futuræ felicitatis à Scutô in Terris Sobieskianô exſpectandæ certiſſima præſagia. Tradunt Annales Galliæ cœlitùs miſſum Clodoveo I. Scutum, tribus liliis expictum, quo ſpem tribus atque adeò omnibus numeris abſolutam denotari voluêre Veteres Franci, ut poſterorum animos certâ futuræ felicitatis ſpe ncenderent.

(i) Günth. Ligur, L, 6, v, 612.

Solent

Solent haud rarò antiquitatis monumenta cum ætate jacturam fidei pati, & quæ memoriam hominum exceſſêre, non ita pronos in aſſenſum ſui trahunt animos, quàm quæ oculis ſubjecta vel invitos ac reluctantes veritatis convincunt.

Vidimus, vidimus noſtrâ ætate cœleſte illud Divinæ Gratiæ pignus, vidimus Clypeum quinque Sideribus ornatum; vidimus eundem non cælitùs demiſſum, ſed cœlo ipſi infixum eoque in locô conſpicuum, ut univerſo Orbi ſpes certiſſima affulgeat: A Scutô hôc Sobieskiano non Polonæ tantùm, ſed & Europææ Libertati, non momentaneum,

quod flore citiùs marceſcat, ſed ſi-
dereum, hoc eſt, perenne atque im-
mortale exſpectandum eſſe Præ-
ſidium.

Vellicant hîc aurem Superi, & au-
ſpicium *Scuti Johannei* Orbi Euro-
pæo, me interprete, nunciatum
volunt:

*Cœlitùs hoc Orbi Scutum natale
petenti.*

Sanè divino hoc encomio, velut com-
pendio quôdam omnes Virtutes Tuas,
Rex Sereniſſime, omnemq; meritorum
Tuorum gloriam contineri, quis mor-
talium eſſet, qui tàm certo, tàm publi-
co, tamque immortali teſtimonio fi-
dem

dem derogare auſit? Hîc verò quis vel diſertiſſimus tantam rerum domi foriſque pro Patriæ, proque vicinorum Populorum ſalute geſtarum copiam ſufficienti calculo numeret? Quarum certè tanta eſt amplitudo, tanta ſublimitas, ut Laudum Tuarum faſtigium aſcendere meritò deſperem. Neque eſt, cur iſtam Regalium Virtutum memoriam hâc Oratione, in poſteritatis exemplum, propagandam ſuſcipiam, cum mos hic laudandi Reges & Principes poſt fata demùm obtineat.

Te verò, *Rex Sereniſſime*, conjunctis votis ac publicis precibus diu nobis ſuperſtitem, poſteriſque Protectorem

futurum à Cœleſti Numine ſeriò ac conſtanter exoramus. Loquentur Te olim Faſti, loquentur Annales; nec ulla erit tàm ſurda Poſteritas, nulla tàm ingrata fama, quæ non infinitis Factorum Tuorum memoriam teſtatura ſit monumentis.

Mihi in præſentiarum auſpicia tantùm colligendi animus fuit, quibus ſi *Regium*, in quod evectus es, faſtigiū junxero; ſanè non gentilitio tantùm, ſed Regio quòdam & quaſi proprio jure Te à Superis electum eſſe fatendum, ut eſſes communis Libertatis Cuſtos. *Imperatorem eſſe Fortunæ* tribuit Conſtantinus M. & *Principatum fato dari* voluit Titus Imperator; rectèq;

Car-

Cardinalis Aldobrandinus, cum creato Clemente VIII. P. M. à quibusdam rogaretur, quorum ſuffragiis Summus Pontifex electus eſſet; *Sum̃um*, inquit, *Principem non fieri, ſed factum de cœlô recipi.*

Hæc Divinæ Providentiæ occulta vis in Tuâ Majeſtate, Regno, Orbique Europæo deſtinatâ, ſeſe maximè exſeruit, Teque Cœlo demiſſum oſtendit, qui erga Genus humanum officio divino fungaris, quique tacito Libertatis munera diſpenſes arbitrio; Quæ Virtus Tua tàm longè latèque patet, ut nullam Orbis Europæi partem reperias, quam non fama illius perſonet, illius ſplendor perfulgeat.

Gaudebat olim Jupiter inſcribi ſibi cognomen; *Urbium Tutor ac Præſes:* At quantò Tuum illuſtrius eſt, quod vel duplici tantùm Victoriâ, Chotimenſi & Vienenſi, (Taceo enim innumeras alias, quarum numero magis, quàm annorum decurſu, Vita Tua illuſtris eſt) illisque inde ductis trophæis, optimô jure meritus es, ut non unius hominis; non unius Populi; non Regni tantùm Tui; non Urbium, ſed *Orbis Chriſtiani Tutor ac Præſes*, omnium conſenſu, omnium votis, omnium applauſu audias. Nondum è memoriâ exceſſit dira Patriæ ex pertinaci bello Chotimenſi neceſſitas. Deſperata tunc videbatur ſalus,

barbaro

barbaro hoſte protervis primùm minis Libertati noſtræ inſultante, tùm tributi pendendi onus, fœdam ſervitutis notã imperante, atq; in extremã tandẽ Sarmatiæ perniciẽ univerſum Orientis robur, viresq; convertẽte. Quis inclinãti tunc Reipublicæ Majeſtati, ac pereunti jam fermè Patriæ Libertati priſtinũ dec⁹ reſtitueret? Quis concuſſa Panico quaſi metu Regni fundamẽta ſtabiliret? Quæ facies infelicis Sarmatiæ, imò infortunatiſſimæ Europæ fuiſſet? Quæ Ottomannico furori in ludibrium ceſſiſſet Regno Poloniæ, illo Chriſtiani Nominis Divinà Providẽtià deſtinato propugnaculo, in horrendã ac infamem communis hoſtis poteſtatem redacto. Vidiſſes fœdata

cruentatis cadaveribus flumina; Vidiſſes munitiſſima mœnia truculenta Belluæ Ottomannicæ rabie convulſa; Vidiſſes collucentium Urbium flammas, Provinciarum ampliſſimarum deſolationes, Regnorū vaſtationes, & proſtratas conculcatæ religionis aras; Vidiſſes tandem pulcherrimam illam Europææ Libertatis, illibatæ hactenùs Virginis inſtar, jam conſtuprandæ formam fœdiſſimè conſpurcatam. Hi erant triſtiſſimi caſus metuendi; hæc mala formidanda, quæ nullô auxiliô, nullâ vi contineri ac coërceri poſſe videbantur. Prævaluêre tandem omni conſilio humano fata, atq; hanc invenêre viam, ut Soli JOHANNI III.

ſtu-

ſtupendæ Victoriæ, non ſine magnâ totius Orbis Chriſtiani admiratione, gloria reſervaretur. Solus Ille Divinâ fretus ope, incredibili fortitudine, Regiâ fortunâ comite, tamque exiguâ ſuorum manu formidoloſam exercitus Turcici potentiam invaſit, feliciſſimô eventu infregit, & tanto periculo, tantæ ignominiæ Patriam, dixerim, & univerſam Europam eripuit, ſubtraxit. Felix jam ex eô publicæ ſalutis præſagium, communis omnium ſecuritas, nullus calamitatis futuræ metus, ac plena in SOLO JOHANNE III. collocata fiducia; non defuturum jam, emergentibus fortè malis, communem totius Orbis Chriſtiani

Protectorem. Annuit fortuna augurio, ac ſpei conceptæ proſperrimi reſponderunt eventus.

Infeliciſſimus quippe turbo iterum felicitatem Europæam ſubvertere videbatur, cum ferox Orientis Tyrannus, irâ tumens, in contumelioſæ ab Invictiſſimo Rege noſtro illatæ ſibi cladis ultionem propenderet ſæviſſimam. Terrebant verò meditantem Sarmaticum Bellum veſtigia, & recens adhuc calamitatum memoria infauſtum movendæ in Polonos expeditionis exitum præſagiebat. In Pannoniam ergò, ipſamque Germaniam nihil ſibi metuentem ac ſecuram, ruptô præter fas fidemq;

ſacrô induciarum fœdere, decretum bellum crudeliſſimum. Inopinata illius erat fama, ad quam non Germania tantùm, ſed univerſus Orbis Chriſtianus exhorruit, contremuit. Vix rumor iſte innotuit, cum Victor Barbarus ſuperatâ Pannoniâ in intima Germaniæ penetralia irrumperet, atque ipſi Potentiæ Auſtriacæ extremum jam minaretur excidium. Repentinâ illicô Obſidione cincta Vienna, illa Europæarum Urbium ferè Caput ac Princeps. Nunquam majoribus copiis ſepta ac interclusâ Civitas, nunquam crebrioribus tormentorum ictibus mœnia verberata & con-

quaſſata, nunquam vehementiori ac graviori impetu tentata Auguſtæ Sedis expugnatio. Actum fuiſſet de inæſtimabili Europææ Libertatis theſaurô, captâ raptâq; Viennâ: jamq; non Urbes tantùm reliquæ, non Provinciæ, ſed Imperium ipſum Romanum, & cætera Europæ Regna, tanquàm indubia ſpolia feroci hoſtis animo concipiebantur. Et ecce! poſt tot obſeſſorum Civium ſuſpiria, tot Principum afflictorum ardentiſſima vota, tot ferventiſſimas mortalium penè omnium, crebrisq; cùm ſingultibus erumpentes preces, *Rex Noſter Invictiſſimus* (non ſine impulſu Numinis) difficillimæ liberationi accingitur. Eſt quod obſtu-

ne-

peſcat Poſteritas, arduam illam & ancipitem expeditionem tàm prompto ſuſceptam animô, tantâque celeritate ac proſperrimô eventu, ſupra omnium ſeculorum fidem, confectam. Sed nihil virtuti Regiæ impervium, quæ, Aquilæ inſtar, citiſſimo tunc curſu, ad ferendam periclitantibus opem, advolaverat. Nec mora: Inopinum Rex in armatas phalanges & denſa exercitus hoſtilis agmina impetum facit, firmataque Cæſarianorum ac Saxonum acie, perruptis primùm ac disjectis munimentis, confertiſſimas hoſtium turmas divellit ac profligat. Non gratiæ hic ullus locus, nec Barbaro SANGVINI prodigè fun-

dendo

dendo modus impoſitus. Concuſſa Procerum capita, minacibusq; ſarriſſis, ac flammantibus fulminum globis univerſus Orientis exercitus cruentâ clade cæſus, trucidatus, obtritus. Atq; ita feliciſſimis *Johannis III.* auſpiciis Vienna, hoſtilis libidinis prædæ proxima, præſentiſſimo periculo erepta & in priſtinam Libertatem reſtituta, tanquam immortale Orbi univerſo ſe monſtrat monumentum, glorioſisſimorum Regiæ Gloriæ Titulorum. Quod verò Tibi, *Rex Auguſtiſſime*, dignum exinde Elogii ac laudis accedet incrementum? Specioſa quidem & pompatica Romani Imperatores nomina ex Aſiâ, Africâ, Numi-

diâ

diâ, aliiſque ſuperatis Gentibus, non ſine magnâ æmulorum invidiâ, ambiebant. At ſolum illis erat honoris, non juſtitiæ in bellis ſtudium; quod vitium maximè nobis, quâdam virtutis imagine, blanditur. Non ambis, *Princeps Religioſiſſime* pompam iſtam longè meliore jure Tibi debitam, nec Pietati Tuæ convenientem exiſtimas. Ab opinione fortitudinis olim illuſtris & clarus erat Coſroës Perſarum Rex, ſed Gloria illa plus nominis, quàm veræ laudis in ſe continebat: ita enim eum quidam affatur: Tibi, *Rex Maxime, in cædibus & pugnis, & urbibus ſubigendis, alia fortè Nomina contingunt, bonus autem, ut per hæc credaris, fieri*

nequit. At altiorem imò ſummam Nominis amplitudinem perveniſti, *Rex Auguſtiſſime*, qui non à devictis Gentibus, ſed quod, vel ſupremum Titulorum faſtigium ſuperat, *à libe-ratis, communis totius Europæ Li-bertatis Vindex ac Stator invictus, Pius, Felix, Auguſtus*, omnium ore, omnium ſermone celebraris ac præ-dicaris.

Sed ulteriùs jam Tecum, *Hercules Sarmatice*, cui plus ultrà in gerendis, mihi dignè enarrandis rebus pro-gredi non licet. Nam Solis Maximi & velociſſimi illius Sideris more, lon-ginqua itinerum emenſus, Sileſiam, Auſtriam, Danubium, totamque Pan-

noni-

noniam; tùm Boryſthenem, Tyram, Podoliam, latiſſimosque Moldaviæ campos, & altisſima Vallachiæ montium juga victricibus armis ſuperâſti, ut penè properantem Victoriæ præteritæ famam recentioribus Victoriis præveniſſe videreris. Non capit ergò tenuis hic & tàm exiguô temporis ſpatiô circumſcriptus ſermo, trophæorum, quibus in dies magis magisque Orbi inclareſcis, magnitudinem. Erit fortè mihi, erit aliis majoribus ingeniis, in copioſiorem hiſtoriæ meſſem, ſepoſita materiæ ſeges.

Id ergò jam meditemur, ut dignum Tibi, *Regum Maxime*, à Cœleſti Numine impetremus laborum fructum,

aç veri boni voto tantæ felicitatis nobis collatæ cumulum debitè remuneremur. Aſt promptior adeſt Cœleſtis Gratia, quàm rogátur, & quicquid hîc pietas ſuggerere poſſet, quicquid voto concipi, aut ſupplici comprecatione expeti; illud omne jam Cœleſte Numen copioſâ, in *Auguſtisſſimam Domum Tuam*, effuſâ gratiâ præoccupavit. Quod ſi enim omnes omninò abſolutiſſimæ felicitatis humanæ partes, omniaque fortunæ munera percurrimus, nihil omninò nominari poteſt, quo non plenè & cumulatè *Regem noſtrum Sereniſſimum* inſtructum videmus. Fato quidem, ut valida Principibus

in

in Rempublicam fortuna, ita domi improſpera, Regi vero *Noſtro* faciliorem ſe ac benigniorem præbuit; qua aſpirante matrimonii obtigit felicitas, ſummum in Terris bonum. Quid enim jucundius *Auguſto Noſtro*, poſt labores Herculeos reſpiranti, quàm uxorium levamentum? Eſt illi præcipua conſortii Regii dulcedo ex *Mariâ Caſimirâ*, *Sereniſſimâ Poloniarum Reginâ*, *Dominâ noſtrâ Clementisſimâ*: In quâ, velut centro quodam, concurrunt & Natalium ſplendor, & formæ gratia, & tanta Virtutum omnium amplitudo, quanta vel hunc ſexum, vel hanc fortunam

ornare unquam poteſt. Non deeſſent hîc elogia, quæ *Auguſta* Regiis animi dotibus optimô jure mereretur, & quaſi propria ſibi redderet. Machtildi Henrici I. Anglorum Regis Conjugi ex moribus probis cognomen *Bonæ* datum fuit: [k] & ſingulari fato, tres ex Bertholdi Meraniæ Ducis familiâ prognatæ, ob pietatem atque alias egregias Virtutes, ſpecióſos *Sanctarum* Titulos obtinuêre: [l] Margaritæ verô trium Regnorum Septentrionalium Reginæ Virtutes Heroicæ, ac res præclarè geſtæ, *Semiramidis Danicæ* cognomentum peperêre. [m]

At ſi

(l) *Cur. Ann. Sil. fol.* 74. *Bonfin. Dec. II. Lib. VII.*

(k) *Buchan. Rer. Scot. L. VII.*

(m) *Pòntan. Hiſt. Dan. L. IX.*

At ſi inſignia *Reginæ Sereniſſimæ* per
luſtremus merita; Quis illi & *Bonæ*
ob incredibilem in ſubditos humani
tatem atque Clementiam; & *Sanctæ*
ob ardentisſimam in Deum Pietatem
& *Semiramidis Sarmaticæ*, ob Heroi
cam animi fortitudinem, Titulos de
negandos eſſe contendat? Majori vero
inſuper Regis noſtri Regniq; ſolatio
Mariam Auguſtisſimam, alteram velu
Cybelem, Deorum Dearumque Ma
trem, adorat Orbis, prædicabit Poſte
ritas: Cùm ex Illâ natos natamque
Deos Deamque, in Terris Præſide
futuros, non commentis, ſed certiſſi
mô experimento cognoſcamus. *Non*
Claſſes, non Legiones perinde firma

Regni fundamenta, quàm numerus iſte Liberorum.[n] Solent præterea He-roum Liberi ſpe nominis corrumpi, cùm tamen ab educatione eorum, non Urbis, non Provinciæ, ſed Re-gnorum ſalus & felicitas, velut à ſe-mente ſpes ſegetis uberrima, depen-deat. Atque in eô faſtigium ſortis Regiæ aſcendiſſe videtur *Sereniſſi-mus noſter*, quod *Sobolem Celſiſſi-mam*, ad avitam Majorum Gloriam per ſemitam Virtutum aſpirantem, laudanda ſolicitudine educaverit, habeatque jam *Filios* Paternæ Virtutis ac Gloriæ æmulos, *Filiam* verò Ma-ternarum dotium Hæredem digniſſi-mam. Quid ergò jam votis noſtris

(n) *Tacit. L. IV. Hiſt.*

de-

deſuper expetendum? De reſtitutâ, inter feſtivas, Paciſque Olivenſis memoriâ excitatus voces, Sanitate Regiâ, gratulantia audivimus vota: Hoc unum ergò à Te *Æterne Deus*, *Servator*, *ac Soſpitator Orbis*, Sanctâ, publicâ & communi voce oramus & obſecramur. Serva, tuere, cuſtodi *Regem Unctum Tuum*; & ut de noſtris annis nova illi accedant incrementa, pari omnes pietate precamur. Fac Eum, ac vel ultra deſtinatum mortalibus penſum vivere, Victorem ac Triumphatorem ſemper Magnificum, illud Sarmatiæ Præſidium, Europæ Tutamen, Orbis univerſi Miraculum. Vivat, vigeat, floreat, Ille com-

munis Libertatis Vindex ac Stator, *Johannes III.* Rex noſter Sereniſſimus: Utpote cujus auxilium pleraque Occidentis & Orientis Regna, inteſtinis cladibus laſſata, ardentiſſimis votis expetunt, & jam avidis vel oculis anxiè circumſpiciunt. Ita cum fortuna Regni Sarmatici conſpirabit ſemper Orbis univerſi Felicitas.